



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Ecclesia**

**Buchinger, Michael**

**Dilingae in Rhetia, 1556**

**VD16 B 8998**

Ecclesiae unitas unde.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64468](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64468)

Cyprianus  
anno  
260.

Ecclesia  
atomos  
id est indi-  
uisibilis.

libro 2. capite 12. Ecclesia catholica, inquit,  
una esse potest. scindi uel diuidi non potest. Et  
Augustinus de utilitate creden: cap. 7. ait. Vna  
est catholica Ecclesia, cui hereses alie, diuersa  
nomina imponunt, cum ipse singula proprijs uo-  
cabulis, quæ negare non audeant, appellentur: et  
Cyprianus ad magnum filium li. 1. Epistolarum,  
ait: Quod una Ecclesia sit, declarat in canticis  
spiritus sanctus, Vna Ecclesia est, ebuccinat  
idem Cyprianus in tracta: de simpli: Præla: Quæ  
in multitudinem latius incremento fecunditatis  
extenditur, quomodo solis radij multi, sed ro-  
bur unum tenaci radice fundatum. Et cum de  
fonte uno riui plurimi defluunt, numerositas  
licet diffusa uideatur, exundantis copie largita-  
te, unitas tamen seruatur in origine. Et idem  
Epistol. 8. libro 1. Deus unus est. Et Christus  
unus est, una Ecclesia, & cathedra una, super  
petram domini uoce fundata. Aliud altare con-  
stitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter  
unum altare, & unum sacerdotium, non potest.  
Quisquis alibi collegerit, spargit, &c.

ECCLESIÆ unitas unde.

**S**ed unde Ecclesie ea unitas, et sibi per omnia  
secula consentiense R. Ex spiritu unica ue-  
ritatis unico. spiritum eum Christus (qui idoneos

nos

nos fecit ad participationē sortis sanctorū in lumine Colloss. 1. qui eripuit nos à potestate tenebrarum, qui est imago dei inconspicui, primogenitus uniuersae creaturae, &c) suae Ecclesiae non solum consolatorem, sed & rectorem, & omnigenae ueritatis doctorem promisit: Hic est ille spiritus, qui charitates nequit, affectiones constringit, sectas repellit, regulam ueritatis expedit, hereticos reuincit, improbos foras expuit, Euangelia custodit, &c. Et cui liberum est diffingere & destruere pro arbitratu, quod arbitrio suo finxit. Vnde in peruersorum conuenticulis spiritus talis esse nō potest, quia distracti sunt in Sion habitat dominus, Psa. 73. Hi. 8. Io. 3. Christus ueritas est, Io. 14. Spiritus sanctus nusquam sibi dissidet, sui ubiq; similis est, Harmagedon ille infernalis mille artifex est, & centiceps bestia, mendax: exite de illo pij.

Tertullia.  
de trinita.

### Vnitatis Excellentia.

**V**Nitas autem omnem numerū simplicissime penetrat, omniumq; numerorū cōmunis mensura, fons & origo, omnem numerum in se unice coniunctum continet, multitudinis omnis in fons, s:mp:per eadem & immutabilis

B 3 lis

lis & indiuisibilis est, partium omnium expers,  
non secatur, sed multiplicatur in unitates. Sic  
unum rerū omnium principium est, unus Deus,  
sui ubiq; similis, cuius uiribus nihil obsistit: Deu-  
tero. 6. ADONAI E H A D, hoc est. Vnus  
est deus. Vnius dei unus mundus, & rector illius  
unus: Vnius mundi unus Sol. Vnus quoq; in mun-  
do phoenix. Vnū est elementum uincens & om-  
nia penetrans, ignis. Ab uno homine Adamo,  
omnes producti sunt: Ab uno illo omnes mortui  
sunt: ab uno I H E S V C H R I S T O, quo ni-  
hil sapientius, nihil melius, rursus regenerati  
sunt. Vnus deus & pater omnium, unus media-

Trinitas  
ratione no-  
minum &  
proprieta-  
tis perso-  
nalis.

Monas ra-  
tione sim-  
plicissima  
unitatis.

Arca <sup>αυτι</sup>  
του  
Ecclesiae.

tor dei & hominum, cuius cognitioni nulla in-  
terponitur nubecula: Vnus altissimus creator  
qui super omnes, per omnia & in omnibus no-  
bis: Vnus enim Pater deus, à quo omnia, & nos  
in illo, unus deus I H E S V S C H R I S T V S  
σωτηρ, per quem omnia, & nos per ipsum,  
quem & D. August. de gra. no. Testa. epistol.  
120. sacrificium noui testamēti uocat, &c. Vnus  
deus spiritus sanctus, in quem omnia, & nos in  
ipsum: Sed ad institutum. Sic una ciuitas, ut re-  
petam, unum uerriculū: una petri nauis hippa-  
gona, &c. Que omnia monadem exigunt: Sic  
etiam una sancta catholica Ecclesia, Sponsa  
Christi.

Christi, Mater omnium. Hæc est Arca illa patris Noë, Geneleos 7. quæ in toto orbe terrarum unica fluctuat in aquis horum temporum, extra quam nemo saluus esse poterit. Hæc in Arca, inquam, Noëmi, qui delitescit, securus erit, Gen. 7. 1. Pet. 3. Firmissime tene, Arcam dei esse catholicam ecclesiam, inquit Augustin: in libro de fide ad Petrum, cap. 43. &c. Egressus Noë vineam plantavit, & bibens de ea inebriatus est: natus quoque in carne Christus ecclesiam plantavit, & passus est. Nudatum patrem irrisit Cham, at uero Sem & Iaphet operuerunt uerenda patris sui, Geneleos 9. & deum crucifixum illuserunt pharisæi, Psalm. 21. Et honorauerunt gentiles, &c. Qui ergo extra Arcam est marcescet, obruetur undis: Quando & Sacramenta extra ecclesiam suscepta non ualent, ap-  
 Extra ecclesiam Sacramenta non ualent.

lium congregationem, neq; hanc solam, sed Christum ipsum, qui caput eius est, uiolat.

## HEPTADESMULTÆLE

guntur in libro Apocalypseos: & quid sibi uelint.

**L**icet autem in Apocalypseos libro, cap. 1. Septem scribantur Ecclesia: Ephesus 1. Smyrna: 2. Bergamus: 3. Thyatira: 4. (de qua erat illa puella Lydia Porphyropolis seu purpuraria, acto. 16. quæ per Apostolum paulum in Philippis urbe Macedonia, uerbum uitæ suscepit.) Sardis. 5. (σάρδεις pluraliter urbs Lydiae caput, regia Cræsi: apud quam Aliacis tumulus super excelsa crepidine: Huius ciuitatis Episcopus fuit Melito, uir celeberrimus & doctor insignis, cuius multa extant passim uulgata opa:) Philadelphia 6. (urbs quondam Mysia terræ motibus concussa: iuxta quam orientem uersus, exusta regio patet stadijs longa quingentis, quadringentis lata &c.) Et Laodicea. 7. una tamen in Canticis, cap. 6. est columba: Nam sapientia ædificauit sibi domum, prouer. 9. Excidit columnas 7. una est ergo Ecclesia septem ordinibus distributa, uel 7. charismatibus, Esa.

Vide Herodotum.

Cyprianus.

Laodiceæ meminit 2. in Epi. 9. ad Collos. sub finem.

11. insign-

in insignita: quam ille pacificat, & adunat, cu-  
 stodit & regit, &c. In hisce septem Iohannes  
 prædicans, Episcopus & pastor horum fuit an-  
 tequam in Patmū à domitiano relegaretur. Exu-  
 lans in Patmo, officio suo Episcopali, pastorali,  
 Evangelistico & Apostolico fungi non poterat:  
 scripsit itaq; prophetiam eam sibi reuelatam, cō-  
 tra Hebionitas, Cerinthum, atq; contra omnes  
 hereticos & scismatarchas, pacem Ecclesiæ con-  
 turbātes, corpus bestia infernalis. Ecclesias 7.  
 ponit, inquit Cyprianus, ut seruetur septenari-  
 us numerus: ut dies septem, quibus dominus mun-  
 dum fecit, ut angeli septem qui assistunt ante fa-  
 ciem Dei. Et lucerna septiformis in tabernacu-  
 lo testimonij, & spiritus septem, ac candelabra  
 septem, & columna septem, super quas adifica-  
 uit domum S A P I E N T I A.

De Iohāne  
 Apostolo,  
 D. Hiero.  
 lib. 3. Epi.  
 ad Gal. ca.  
 6. Terrul-  
 li. in libro  
 de præscri-  
 ptionibus  
 hæretico-  
 rum.

Obijcitur Lemma.

**H**ic uideo adesse quosdam multis questioni-  
 bus, tanquam tendiculis instructos: tamen  
 Ecclesiarum, blaterant, numero plurali  
 meminit Paulus 2. Corinth. 11. Et 12. &c. Res-  
 spon. Quòd hic dicit Ecclesiōn, nemo Christia-  
 nus accipiat de mollibus honoribus Cellarum &

Cauilli re-  
 motio.

B s bast

Basilicarum, sed de fidelium conditionibus. In plurali loquitur etiam. Ro. 16. act. 14. 1. Thessalo. 2. Gala. 1. 1. Cor. 14. &c. sed neque hoc fit abs re.

VNA idcirco sola Ecclesia catholica, quam nos olim prophetae, & posthac Christus Deus et homo docuit, in qua per I H E S U M Christum apertissime, & citra omnem ambiguitatem aeterna felicitas seruatoribus promittitur (positus enim

Sola fides  
non sufficit,  
ad absolutam  
iustificationem.

in resurrectionem & ruinam multorum in Israel, Lu. 2. ) Numeri 15. Psal. 102. Exec. 33. Math. 23. Mat. 5. 6. Lu. 11. Ro. 2. &c. Et incredulis contemptoribus sempiterna incendia interminantur. Ergo, inquit Ambrosius offi. li. 3. ca. 16. Qui facit mandatum Dei, eius amicus est, & hoc honorabitur nomine. De bonis fidelium operibus uide Orig. in caput Ro. 4. et li. 3. in caput Rom. 3. Chryso. hom. 29. in Rom. ca. 15. Item: Hom. 31. in Rom. cap. 16. Augustinum in Psal. 94. Chryso. Homil. 12. in Genesim. Et Hom. 1. in cap. Ephe. 1. Eundem in 1. Timot. 1. August. in Psal. 89. &c. uerum ad institutum. H A E C ergo unica ecclesia catholica omnes in uniuersum orthodoxos, cum uiuos tum mortuos continet, qui eadem fidei sacramenta, idem baptisma, eundem seruatorem Christum, eandem ecclesiae auctoritatem profitentur. Summa: Ex hac unica ecclesia multae conflantur ecclesiae,

hoc



hoc est, cōgregationes, una in omnibus fides doc-  
cetur, unum Euangelion. Hjsdem omnes sacra-  
mentis utuntur. Nulla cæremonijs certis caret:  
Nihil dispar in tanta potest esse unitate. Ex hac  
ergo concordia, atq; consensu ex omnibus resula-  
tante, nascitur manifestum argumentum ueræ  
ecclesiæ dinoscendæ.

## ECCLESIA VBI.

**A**T reclamant dicaculi Anomytæ (quos  
Græci uocāt ἀνομιῶν) stentorea uoce: pe-  
nes nos ista catholica ecclesia est, nos illi  
filioli, si credere fas est, & coheredes Christi,  
Rom. 8. Et quid nō audent argutuli? Quibus re-  
spondemus & quidem paucis, nō enim commen-  
tarios, sed tantum breues theses, primitiolas, &  
curtam Πρωσάγωγην tractamus & offerimus:  
si ueritas iamprimum, uti actanter gloriari sole-  
tis, uobis authoribus reuelata est, ubi quæso spi-  
ritus ille Dei intra 1500. annos sese cōtinuit: eū  
sponsus manifestè dicat, uos cognoscetis eū, quia  
apud uos manebit, et in uobis erit. Quod autē il-  
la pollicitatio non ad solam apostolicum sena-  
tum pertineat, sed ad uniuersos ecclesiæ my-  
stas, omnibus catholicis planè cognitum es-  
pers